



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Inquisitorum, & Epsicoporum potestas circa absolutionem hæresis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

non esset dubium eum consensisse, sed moraliter certum, in Hæresim reservatam.

10. Tercio si fuit externa, simul & interna, vide an peccata seiverit ei delicto fuisse annexam excommunicationem, si enim nescivit, cum non adhaerit contumacia, excommunicationem non incurrir. Quare cum Hæresis, excommunicationem in eo sint reservati, quia articuli habent excommunicationem, tunc ea hæresis reservata non erit, atque adeo à quocunque rite approbato absolvi poterit, ita Sanch. lib. 2. in Dec. c. 8. n. 5. fine, & Castro Pal. tom. 1. tr. 4. d. 4. q. 3. initio.

11. Quando, si penitens jam certo lapsus in excommunicationem ob hæresim internam, externamque est articulo mortis, poterit etiam absolvi à quocunque Sacerdote simplici; etiam si hæresis fuerit externa, & publica; ita de Lugo de penitentia, d. 10. sect. 2. §. 1. Castro Pal. d. 3. §. 5. n. 8. quia id concedit Tridentinum.

12. Lugo §. 1. n. 23. Castro Pal. ibidem etiam præsentem pro-
prio Parocho. Tunc autem debet imponi, & juramentum stando mandatis Ecclesiæ, & onus, ut si convalescit, Superiori præsentet, juxta à nobis dicta in methodo Confessio, c. 6. Quibus adde duo. Primum ab impube-

ribus hæc juramenta non esse exponenda, & Sanch. lib. 2. in Dec. cap. 13. num. 26. Bonac. disput. 1. de censuris in communi §. 3. p. 3. num. 11. quia non præsumitur peccare rationis usui, ut juramentum pro dignitate præstent; & quia ex probabili sententia in nostro opusculo de exp. communi §. 2. d. n. 11. non sunt subjeti penis Ecclesiasticis, atque adeo excommunicationi. Secundo, quando

judicatur ejusmodi juramenta, vel omerat imponi non posse, ut quia, v. g. penitens statim est certo mortuus, vel impedimentum fore perpetuum, illa non esse imponenda, quia frustra imponerentur: ita Castro Pal. d. 10. §. 5. n. 18.

7. Nota autem articulo mortis, & græve periculum, ex probabilissima sententia pro eodem hic accipi: ita Tel. lib. 1. cap. 13. Avila de conf. p. 5. d. 4. sect. 1. r. dub. 5. Sayr. lib. 2. thes. c. 20. num. 28: est autem, quoties judicio boni viri morale periculum seu, ut alioquinquantur, probabile periculum mortis imminet. Quare, præter f. b. i. b. e. s. graves, similesque morbos, qui reperiuntur in probabili periculo mortis, qui propter exortam tempestatem, qui in bello est constitutus, quæ primo ex paritura impio quæ est paritura, quia paritur semper periculo subjacet, dicuntur esse in articulo mortis atque adeo, modo dicto, possunt absolvi. Qui longam navigationem, vel qui iter, v. g. in infelices est aggressus, huc reducit, si non speretur copia Confessoris potentis absolvere, quando aderit deinde mortis discrimen.

8. Quinto, si penitens habet perpetuum impedimentum, v. g. agnitionem, paupertatem, servitutem, penam carceris, vel tristem, quia sic impeditus est moraliter certus se non posse ante mortem habere copiam potentis absolvere, dicitur esse in articulo mortis, poteritque pari modo absolvi ab hæresi etiam publica in foro interno: ita Castro Pal. tom. 1. tr. 4. d. 4. part. 3. §. 5. num. 4. Quamvis enim Sanchez lib. 1. in Dec. cap. 13. n. 37. Sanch. d. 21. de fide, sect. 4. fine, & alii id concedant de aliis criminibus, non verò de hæresi propter ejus gravitatem, tamen Castro Pal. h. c. satis probabiliter, etiam de hac merito concedit: est enim par ratio de cæteris, ac de hæresi.

9. Quid si impedimentum sit longum, non verò perpetuum? Puto esse tunc distinguendum, si enim putatur fore admodum longum, v. g. per quinque vel decem annos erit judicandum perpetuum, cum in illo valde longo impedimento, morale subit periculum mortis, in quo supponimus non adfuturum Confessarium, qui potius sit absolvere: si vero putatur non ita longum, non erit perpetuum judicandum, quia dictum morale periculum non præsumitur affuturum: Breviter erunt perpendenda futura pericula, sanitas penitentis, & similis, ut si

judicetur morale periculum subesse, cum prædicto juramento, & onere absolvatur; sed, nequaquam.

10. Duo denique adverte: Primum, si dubites, an possis vivere, donec habeas copiam potentis absolvere, adhuc judicaris esse in articulo, qui hæc concessio cum sit contenta in corpore juris & in favorem animarum, late interpretanda est. Adverte secundo, si constitutus in dicto articulo possis vocare ad te Superiorem, vel medio confessorio, vel missis litteris, possis expectare ab illo præsentem absolutionem, vel facultatem, ut absolvaris ab excommunicationem, te non obligari hæc facere, sed posse à quocunque modo prædicto, absolvi. Ratio est, quia ipsa obligatio est ad eundem Superiorem, ut habent textus hanc obligationem inducentes; non verò faciendi alias diligentias; quare si adire non potes, excusaris. Ex hac doctrina potui consilium dare Sacerdoti Confessorio, aut Moniali, quæ in hæresim externam inciderat, absolveret, tanquam constitutum in articulo mortis. Ratio fuit, quia hæc habebat perpetuum impedimentum ad eundem ad potentem absolvere, nec obligabatur, vel Episcopum vocare, vel per litteras seu internuntium absolutionem petere, ut recte pluribus expendit Castro Pal. loco cit. num. 7. adducens Sanch. & Henriquez.

Sexto, si quod remedium ex dictis non superit; vide an hæresis externa fuerit publica, an occulta; nam facilius invenies qui occultam, quam qui publicam absolvere possit, de qua re jam dictum à §. 11.

Denique hic recole, quid faciendum sit ei, qui incidit in hæresim, nec habet, qui eum possit absolvere, urgeat autem infamia, vel quid simile nisi communicet, posse nimirum, vel cum contritione communicare, vel dimidiare confessionem, ut late universim dixi in nostro opusculo de exp. communi cap. 1. §. 4. n. 20.

Inquisitorum, & Episcoporum potestas circa absolutionem Hæresis.

11. Dico primum, licet hæreticus externus publicus, seu deductus ad forum externum non nisi à Summo Pontifice de jure absolvatur, tamen ex ejusdem Pontificis concessione in Hispania, hoc est ubi residet Hispania Inquisitionis Tribunal, ab Inquisitoribus simul cum proprio hominis absolvendi Episcopo saltem requisito, juxta Castro Pal. l. c. §. 2. num. 1. & Pen. in Bullis in fine directorij ab ipso relatis. Extra Hispaniam verò, ab Episcopo absolvi potest, & reconciliari Ecclesiæ, c. 1. offitium; §. p. verò, de hæreticis in 6. lege Castro Pal. l. c. §. 1. n. 23. quamvis neget Bardi p. 2. in Bullam Cruciatæ, tract. 6. c. 2. sect. 3. n. 25. Patent hæc ex sacris testibus, & ex privilegiis concessis Inquisitoribus Hispania.

Occultum hæreticum Inquisitores etiam separatim unus ab alio (ex eo quia invicem sibi causas committere in hoc supponuntur) absolvere possunt, sed non nisi per depositionem, quam ipse absolvendus faciat sui delicti coram testibus, vel saltem coram Notario: ita Sanch. Farinac. Suar. Garzias, apud Castro Pal. l. c. §. 2. n. 3. An verò possint sine hac solemnitate, sed omnino secrete, & in foro confessionis, concedunt nonnulli, ut Navarr. alique, quos refert Sanch. lib. 2. in Dec. cap. 12. num. 3. dicens id esse probabile licet contrarium probabilius nonnulli negent, addentes praxim ipsorum Inquisitorum esse pro negantibus: ita Castro Pal. alijs citans d. num. 3. Vtrumque probabile: Profecto (habet Escobar in summa, tract. 7. exam. 4. potestne Confessarius?) Inquisitores Hispania possunt, uti ex Sanchez didici, ab hæresi absolvere non solum in foro externo, sed etiam in confessionis foro, ita ut quilibet Inquisitor eundem cuilibet Confessario possit facultatem impertiri.

12. Dico secundo, licet probabile sit Episcopos non posse post publicationem Bullæ Cœnæ absolvere ab ulla hæresi, quia Bulla revocat omnem potestatem absolvendi ab hæresi occulta, quam Episcopi habebant ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. ita Suar. Sanch. Bonac.

Bonac. aliique innumeri relati à Barbosa *secunda parte de potestate Episcopi, allegatione 40, n. 24. & in Concil. Trid. v. in hæresis crimine*, quibus adde Castro Pal. l. c. §. 1. n. 2. tamen etiam probabile, & tutum est, posse in foro conscientie suos subditos absolvere ab externa peccata, si per se, si per alium, cui occurrente casu committat suas vices Episcopus, non verò per Vicarium, seu alium ad hanc absolutionem indifferenter deputatum. Ita Banez, Navarr. Hentiq. Arag. quos refert. Barbosa l. c. num. 11. quibus adde Fag. *secundo Ecclesia precepto, lib. 8. cap. 8. à num. 20.* qui ait fundamenta negantium esse parum firma. Adde & Granadum apud Dian. p. 4. *tr. 4. resolutio. 239.* imò ipse Suar. & Cast. Pal. l. c. statentur hanc esse probabilem. Ratio est, quia hac potestate Episcopi potiuntur ex dicto Tridentino, probabilissimumque est eam non revocari à Bulla Cœnæ. Durum enim Patribus Concilii visum fuit, ut pro occulto relicto extra Dicesim esse remedium exquirendum. A Bulla autem Cœnæ solum revocatur facultas absolvendi prætextu privilegij, ut ex verbis Bullæ patet: at Episcopi esto absolvere non possint ob privilegia à Summo Pontifice concessa, certo absolvere ex autoritate à Christo Domino illis data (posito quod sint Episcopi) neque à Pontifice impedita. Rursus illud (prætextu) dicit colorem quæsitum, non verum. Vt explicat Budæus in l. ff. de offi. io. præsidis, l. sub prætextu, C. de transact. seu dicit speciem veri, non veritatem. At Episcopi absolvunt non colore quæsitum, vel sub aliquo velamine, sed five autoritate jam dicta à Christo concessa, siue etiam à veris privilegiis concessis à Pontifice, & præsertim à Tridentino. Denique potestas Episcopi est certa, revocatio dubia: pravalet ergo potestas.

Quod potest Episcopus, potest & Capitulum, Sede vacante; ita Sanch. Henríquez, Arag. Rodríguez, Suarez citati Merolla t. 2. *diff. 4. c. 6. n. 103.* contra Bonac. Fill. Castro Pal. eundem Suarez in alio loco citato ab eodem Merolla n. 132. id est, quando casus occurrerit: poterit Capitulum alicui Sacerdoti committere absolutionem ab hæresi occulta; Verum deferenda erit hæresis Capitulo sine expressione personæ absolvendæ, ne scilicet hæresis coram tot de Capitulo expressa fiat publica, & absolvi deinceps nequeat, quo pacto occurritur potissima ratio, quam à dicta publicitate Castro Palauz t. 1. *tr. 4. diff. 4. p. 3. §. 1. n. 3.* ducit, qui nobis contrarius est.

Quid conferant privilegia Bullæ Cruciatæ, vel Libellæ, vel Regularium circa absolutionem ab hæresi, in propriis Tractatibus agitari solet.

§. IX. De Apostasia, & Schismate.

Pura Apostasia, quæ ut *suprà*, §. 1. n. 1. diximus, est totalis negatio fidei, ab hæresi, quæ negat aliquos articulos dumtaxat, differt secundum magis, & minus. Quare iisdem pœnis, si sit externa, subjaceat, quibus subjacet hæresis Ita Sanch. lib. 2. in *Dec. c. 7. n. 4. n. 16.* Nam propterea omnia huc pertinentia, ex supradictis doctæ, petenda sunt: Dixi (pura) nam, si ultra fidei negationem, amplectatur quis aliam sectam, v. g. Paganismum, Iudaismum, &c. certum est tunc superaddi & novam speciem.

2. Illud hujus est loci, An purus Apostata qui sine dubio gravius delinquit, quam Hæreticus, ratione ejus gravitatis debeat explicite Confessori suam apostasiam, & hic suam hæresim patefacere. Dico certum esse hos non posse fateri sed aliquos articulos negasse, cum negaverint omnes, vel omnes negasse, cum solum aliquos negaverint, quia sic cum mendacio confiterentur peccatum, quod non commiserunt, ut in simili dictum à nobis est in nostro opusculo de exped. Confess. lib. 1. c. 1. §. 9. n. 61. Posse autem in genere dicere se negasse fidem, seu articulos fidei, probabile est, quia, ut item diximus *ibidem*, §. 18. circumstantiæ liget aggravantes, si speciem non mutant, non sunt necessariò Confessario aperienti. Aliqua alia ad confessionem apostasie pertinentia, vide *ibid. lib. 1. c. 2. §. 1.*

3. Purus Schismaticus is est, qui, cum credat omnes articulos Fidei, retrahit se ab obedientia Summi Pontificis, ut est Christi Vicarius, seu, ita se gerit, ac si ipsi subiectus non esset, consummatur enim schisma ipso opere externo, licet nullus error adsit in intellectu. Ita Sanch. lib. 2. in *Dec. cap. 36.* adique Si ergo Schismaticus ultra divisionem à capite, scilicet à Summo Pontifice, addit aliquam hæresim, qualis est, si ideo à Pontifice deficit; quia asserit, creditque Pontificem caput Ecclesie non esse, jam non est purus Schismaticus; nam etiam est hæreticus, pœnasque hæretici omnes incurrit. Sed si sit purus Schismaticus, certè præter gravissimum peccatum, quod committit, est etiam ex vi Bullæ Cœnæ ipso facto excommunicatus: sit item inhabilis ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, & omsem insuper iurisdictionem, si quam habuerat, amittit. Ita Sanchez *ibid.* & Azor. *part. 1. lib. 8. c. 20.* Ex vi tamen puri Schismatis, nec contrahitur irregularitas, nec privatio beneficiorum jure obtentorum, quia id in jure nequaquam habetur, Ita Sanch. *ibid. p. 20.* contra Azor. *ibid. cit.* nisi forte dicas, Schismaticum notorium præsumitur esse irregularitate generalis infamiae, quæ oritur ex quovis crimine notorio, quod de num. est pœna dispositionis, quale est sine dubio schisma, quæ tamen irregularitas cessat, ablata infamia per contrariam penitentiam; Ita idem num. 20. contra eundem *quest. 8.*

4. Per hæc adverte eos, qui à schismaticis scienter, ter & sponte ordines, vel beneficia suscipiunt, esse ipso jure suspensos ab usu, & functione ordinis, & à beneficiis, sic imperatis, de qua re lege Sanch. n. 20. in medio, aliisque citatos.

§. X. De Infidelibus.

1. Infidèle hic intelligimus, vel Paganum, vel Hæbreum; vel Saracenum; hi enim omnes de Christo Fidem veram non habent. Et Paganus quidem, seu Gentilis est, qui Idola colit, dictus propterea item Idololatra.

Saracenus est, qui Mahumeti imbutus veneno, ejus sectam colit; idcirco appellatur etiam Mahumetanus, quales sunt Turcæ, Mañræ, Arabes, &c.

Hæbreus, seu Iudæus est, qui credit veteri Testamento, novum verò, & consequenter Christum Testamentum novo promulgatum reprobatur, Adde Atheum, qui nullam Religionem, & ne Deum quidem ipsum esse cognoscit, sed id est scelus particularis hominis, & non nationis, aut populi, cum nulla quamvis fera natio, vel populus compertus sit, qui numen aliquod non coleret, & ex alia parte nihil de Atheo hic asserere potest occurrat.

Inter de singulis aliqua dicamus, dummodo advertas multa ex dicendis esse omnibus communia, quamvis propter occurrentem docendi opportunitatem de aliquo in particulari declarantur.

Pagani.

2. Certum est Paganos, siue Christiano Principi subiectos, siue non subiectos, non posse cogi ad Fidem, posse autem muneribus allici. Ita S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 8. & communiter: probaturque e. Sicut Iudæi, de Iudæis, & Sar. lege Azor. p. 1. lib. 8. cap. 24. à *quest. 2.* & Cast. Pal. t. 1. *tr. 4. d. 2. p. 6.* Ratio est, quia Christi Fides voluntarie suscipienda est, secus magnum periculum esset fictionis & sacrilegij in suscipientem illam coactè, cui tamen libertati munus propositum non nocet.

Hinc non potest Bellum suscipi contra infideles, eo solum titulo, quod fidem respuant, nec id posset ipse Summus Pontifex demandare. Contra verò mulier Christiana potest contrahere cum Pagano ea conditione, ut is ante celebratas nuptias, fiat Christianus: potest Rex liberare populum à tributo, si is Fidem recipiat, potest Iudex capite plectendum liberare à morte, si is vitale Baptismi